

422

420

426

416

431

411

471

371

321

Ende

Anfang

407

devotionis affectu fuerit continue, ad quem aliqui maximi
Sancti raptim et ad momentum temporis rarissime admittuntur.
Insuper, ut dicit Albertus, cottidie communicavit sacramento
eucharistiae, sicut patet fol. 107. A. In quo tantam mentis
soliditatem accepit, ut visa vel audita eam nequaquam distra-
here possent. Singulis enim diebus, antequam peregrinationem
aggredieretur, Missam audivit, et communicata fuit cum fer-
ventissima devotione, et in hoc fervore spiritu agebatur, Dei
magis, quam proprio.

Ex alio videtur quod beatissima Virgo Maria non debuit
cottidie in publicum procedere, ne cui esset vel fieri posset
caussa ruinae. Credendum enim est, ipsam fuisse pulcherri-
mam etiam corporaliter, cum de ea Spiritus sanctus dicat:
tota pulchra es, et macula in te non est, nec annositas ipsam
deformabat, aut labor vitae regularis. Ad hoc dicendum est,
quod aspectus Virginis neminem scandalizare potuerat. Tradit
enim sanctus Bonaventura, hoc se habuisse a Judaeorum fidelium
narratione, quod nullus ex aspectu gloriosae Virginis Mariae,
quamvis esset (156 A) pulcherrima, nimis urebat aut inflam-
mabatur ad foedam carnis concupiscentiam, sed eam in aspi-
ciente potius extinguebat ille divinus aspectus, quasi frigidus
quidam ex oculis ros virgineus aspiraret vel efflueret a mente
sua castissima, sicut enim ex adverso de peccatrice ac pe-
tulanti muliere accenditur. Adhuc videtur, quod processus
cottidianus beatissimae Virginis Mariae in publicum somitem
majoris invidiae ipsis invidis Judaeis monstrare potuerit. Erant
enim propter filium inimici matris saevissimi, et dum eam
viderent per civitatem transire, concitabantur forte indignatione
et ira. Ad hoc respondeo ex praecedenti. Sicut enim aspectus
ejus ignem concupiscentiae extinguebat, sic ignem et flamas
invidiae, irae, rancoris mitigabat, et omnis eam aspiciens su-
rorem crudelitatis et indignationem perdidit, et pietate et rever-
tentia movebatur in eam. Unde tamquam potens, virtuosa, ho-
norabilis et amabilis domina ab omnibus venerabatur. Ideo
dicitur Sapientiae 24: sic in Syon firmata sum, et in civitate
sanctificata, similiter requievi et in Jerusalem potestas mea et
radicavi in populo, alias scilicet affectus, pias intentiones etc.
Unde cum etiam in filium suum dulcissimum saevirent Judaei,

